Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

sanctos suos est operatus. quibus infideles ad
fidem. fideles vero ad frugem virtutum tra-
here est dignatus. Redemptor itaque noster
omnipotens deus. humanam desiderans salu-
tem. elegit beatum heraclianum sibi in
sacerdotem. quem episcopum perusii et mar-
tirem providit. Cuius miracula quia nec
lingua dicere. nec memoria alicuius valet
tenere omnia. pauca que oculis nostris
vidimus. vel eos qui viderunt referre
audivimus scribamus. Sed prius unde ve-
nerit. et a quo perusii episcopus institu-
tus fuerit. quod etiam miraculum post suum
martirium per eius sanctitatem factum esse
gregorius in dialogo dixit audiamus.
ut ordinem qui quodam filo procedat di-
camus. Sanctus igitur heraclianus
nacione syrus. cum undecim suis
consanguineis romam divina dispo-
sicione venit de syrie partibus. quorum
hec sunt nomina. Johannes et tedula. ysaac
et abundius. carpoforus et laurencius.
paulus et parachilis. atque anastasius.
Qui dum occulte multos paganorum
ad fidem converteret. sacroque fonte sanctifi-
caret baptismatis. templorum sacer-
dotes intimaverunt iuliano impera-
tori. quendam nomine anastasium cum
duobus suis filiis/ euticio/ et bricio.
et nepotibus totaque parentela romam
de syrie partibus venisse. ac multos ad
fidem christi convertisse. Quo audito iu-
lianus ut cum heracliano et ceteris ad-
duceretur iubet. Qui dum adducti fu-
issent. et a iuliano augusto interroga-
ti cur christo credendo insaniret. seque
illi sanos esse in fide christi respondisset.
iulianus pessimus nodosis fustibus
mactatos in carcerem iussit eos re-
trudi. et ut sic eos posset vincere
longa fame affligi. Post multum
vero temporis de carcere extractos. pre-
cepit ad aquam salviam duci. atque ut
alios terreret. caput sancti anastasii in
eodem loco abscidi. Cum autem filii eius
et nepotes tantam audissent persecu-
cionem in christianos. domini mei preceptum
sequentes quod dixit. si persecuti vos fue-
rint in una civitate fugite in aliam.
ab urbe roma diviserunt. et in loco
qui dicitur via cornelia devenerunt.
Ubi postquam ad invicem se exhortati sunt et
osculati. euticius reliquit bricium in par-
tibus cerniy. et perrexit in partes vulsem.
ibique multis annis heremiticam
duxit vitam. Bricius autem cum aliis
fratribus suis in partes valerie in urbem
spoletanam devenit. relicto paulo
in colonia que dicitur narnia super
castrum carsulanum. in quo erat vir
sanctissimus velosianus. cum quo sanctus paulus
spiritualem ducens vitam. tantam graciam
sanctitatis erat consecutus. ut a velosiano
ordinatus presbiter. missam in celo antequam
sol super terram surgeret in die sancte
resurrectionis eo complente canoni-
ca verba audiret. et sic postea domino
hostiam immolaret. atque sic demum cor-
pus reficeret. Quod cum fuisset denun-
ciatum eugenio sancte sedis apostolice episco-
po. misit suos cubicularios qui loris
astrictum eum sine mora ad se perduce-
rent. Qui dum clam in castrum car-
sulanum venerunt. et beatum paulum ut
renunciatum fuerat facientem invene-
runt. cum iurgio eum apprehenderunt.
Et nolentes ab eo accipere eucharistie
communionem. quam dicebant pocius
esse execracionem. ad eugenium ducere
ceperunt. Quibus ducentibus igni inferre

[Margin:] Cum sub quo passus fuit

+ Prologus hic deest apud Bollandianos Tom. I. Martij pag. 51. § IV.